

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

1 Aristippus philosophus Socraticus, naufragio cum eiectus ad Rhodiensium litus
2 animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamavisse ad comites ita dicitur:
3 “Bene speremus! Hominum enim vestigia video”. Statimque in oppidum Rhodum
4 contendit et recta gymnasium devenit, ibique de philosophia disputans muneribus est
5 donatus, ut non tantum se ornaret, sed etiam eis, qui una fuerunt, et vestitum et cetera,
6 quae opus essent ad victum, praestaret. Cum autem eius comites in patriam reverti
7 voluissent interrogarentque eum, quidnam vellet domum renuntiari, tunc ita mandavit
8 dicere: Eiusmodi possessiones et viatica liberis oportere parari, quae etiam e naufragio
9 una possent enatare. Namque ea vera praesidia sunt vitae, quibus neque fortunae
10 tempestas iniqua neque publicarum rerum mutatio neque belli vastatio potest nocere.
11 Non minus eam sententiam augendo Theophrastus, hortando doctos potius esse quam
12 pecuniae confidentes, ita ponit: doctum ex omnibus solum neque in alienis locis
13 peregrinum neque amissis familiaribus et necessariis inopem amicorum, sed in omni
14 civitate esse civem difficilesque fortunae sine timore posse despiciere casus; at qui non
15 doctrinarum sed felicitatis praesidiis putaret se esse vallatum, labidis itineribus
vadentem
16 non stabili sed infirma conflictari vita. Epicurus vero non dissimiliter ait: pauca
17 sapientibus fortunam tribuere, quae autem maxima et necessaria sunt, animi mentisque
18 cogitationibus gubernari. Haec ita etiam plures philosophi dixerunt. Non minus poetae,
19 qui antiquas comoedias Graece scripserunt, easdem sententias versibus in Scaena
20 pronuntiaverunt, ut Crates, Chionides, Aristophanes, maxime etiam cum his Alexis, qui
21 Athenienses ait oportere ideo laudari, quod omnium Graecorum leges cogunt parentes
22 ali a liberis, Atheniensium non omnes nisi eos, qui liberos artibus erudissent. Omnia
enim
23 munera fortunae cum dantur, ab ea faciliter adimuntur; disciplinae vero coniunctae cum
24 animis nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitae.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Charakterisieren Sie die Sprache und Stil des vorliegenden Textes!
2. In welche Epoche würden Sie den Autor einordnen?

3. Erläutern Sie den Begriff **doctrina**!